De Epistola Antonini Pii

ad Commune Asiæ

Dissertatio Academica,

quam

Adsent. Ampliss. Facult. Philos. Lundensi

p. p.

PETRUS E. G. GULLANDER,

Philos. Doct. Concionator Præsidii Malmogiensis,

Respondente

M. E. W. WIDEGREN,

Scano.

In Auditorio Majori die XXI Decembr. MDCCCXXXIX.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIX.

Konungens

Trotjenare, Majoren och Riddaren af Kongl. Svärds-Orden,

Wälborne

Herr **MATHIAS WIDEGREN**

af sonlig tacksamhet tillegnad.

Qui attentius considerat, quid unusquisque fere, qui historiam quandam ecclesiæ Christianæ conscripsit, respexerit, eidem luculenter apparet, hoc unum fuisse spectatum, ut illustraretur, quomodo religio tam insignis, quam Christiana re vera est, stabiliri et in orbe terrarum propagari potuerit, quomodo innumera fere perruperit obstacula, quot modis eadem extrinsecus sit sublevata vel qua via ad altiorem pervenerit incrementi gradum; quid? quod, quomodo ecclesia Christiana, navis instar, jam lenissimis agitata ventis, libere provecta fuerit, jam turbulentissimis jactata tempestatibus ruinæ exposita atque perniciei, atque adeo quomodo eadem, ut brevi præcidam, diu vexata atque oppressa sensim in dominatricem transierit. Neque est, quod de hac historiæ ecclesiasticæ conscribendæ ratione miremur; etenim a primis inde post mortem sanctissimi conditoris annis ad hoc usque tempus de religione l. doctrina Christiana litigatum fuit, et etiamnunc, teste experientia, is sæpe percipitur sermo, eandem, etiamsi a plurimis terræ gentibus probatam, nondum plane nec confirmatam nec propagatam esse. Eminebat religio Christiana, cumque cetera omnia, quæ magna exstiterunt et eximia, inveterarunt tandemque evanuerunt, in hac fidei nova amoris vita effloruit, quæ tamen præcipue æternitatem ultimum spectavit finem [1]). Ut vero eximia quævis semper fue-

[1]) Cfr. Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche von D:r Aug. Neander. Ersten Bandes erste Abtheilung p. 107. Hamburg 1835.

runt repugnantiæ cuidam hostili, quæ exitium eis intenderunt, exposita, ita et doctrina Christiana gravissimos habuit, quos subiret, casus. Neque heic silentio prætereundum est, quamvis verecunde et quoad speciem fere temere in lucem prodiret religio Christiana, nihil tamen aliud ab initio respexisse hanc novam doctrinam, nisi plane mutatam rerum omnium faciem. Quare si qua res alia, cujus memoriam conservat historia, majorem quandam rerum externarum mutationem effecerit, ea sane est ratio religionis Christianæ, quæ, cum primum exstitisset, inter paganos excitabat motus, pariter ac postea, teste historia, eosdem omnino in orbe terrarum excitavit. In partibus temporis maxime memorabilibus jure habemus prima post mortem conditoris sæcula, et in disquisitionibus, quæ de hoc temporis spatio institui possunt, maxime insignibus et frugiferis, primum occupat locum ea ratio, qua primæ ecclesiæ Christianæ cum civitate erant conjunctæ. Inopia, id quod dolendum, eorum, quæ ad historiam hujus temporis illustrandam valeant, maxime in causa fuit, cur in hac ratione describenda, non nisi conjecturas proponere atque opiniones ausum sit. Quo magis autem hac de re disceptatum fuit, eo magis postulat necessitas, ut singulares historiæ de ecclesia Christiana loci quam diligentissime illustrentur. Cum vero edictum quoddam ex iis, quæ, in scriptis doctorum ecclesiæ et Apologetarum occurrentia, maximam in controversiam vocata sunt, ad disputandi materiem elegimus, iis sane, qui studio historiæ generatim et historiæ ecclesiasticæ præsertim favent, varias res enodare sumus conati. Fines hujus dissertationis excederet, si copiosius exponeremus, quo in Christianos animo affecti essent cum populus, tum imprimis Imperatores Romani ex eo ipso momento, quo ecclesiam primam constituerant. Id tamen hujus loci esse et disputationis jure habeatur, ipsam originem et quasi fontem indagare, ex quo emanarunt persecutiones, quas primi Christiani perpessi sunt. Hac in re commemorasse sufficit, plebi in genere nondum satis persuasum nec esse nec esse potuisse de utilitate generalis sacrorum libertatis; unde commodis omnium plane contrarium erat, eos, qui primis post Christum sæculis operam dabant, ut ho-

mines a paganismo ad religionem Christianam transirent, in omnibus fere disparibus vitæ rationibus omnesque inter gentes, prout urgebat nova religio, partes veteris orbis debiles evertere conari. Quod vero præsertim ad Imperatores Romanos attinet, atque adeo præcipue ad rationem, qua cum civitate conjuncti erant Christiani, jam nominasse juvat, asseclas doctrinæ Christianæ specie factionis, ab imperio Romano alienissimæ, prodiisse, doctrinamque Christianam, multifarie licet causam, quæ hucusque fuerat civitatis, adgredientem, etiam ab rebus aulæ Romanæ politicis quam maxime abhorruisse. Nova nimirum doctrina impotens imperium Romanum labefactare, gubernatores civitatis pariter ac res politicas humaniores reddere, officia principibus injungere civibusque jura addere videbatur. Hæc ipsa indoles doctrinam Christianam tyrannis Romanis invisam fecit et coetus Christinaus jam per se poenam commeruerat, quamdiu isdem utpote societas abscondita diu exoptatam imperandi cupiditatem, quam Imperatores sibimetipsis reservatam voluerunt, prodidit, cuique cupidini unaquæque vel occultissimæ conjunctionis species, unaquæque ἑταιρια l. συνστασια plane contraria fuit. Hisce igitur odii in Christianos causis leviter attactis, in animo est, fata ecclesiæ Christianæ temporibus primorum Imperatorum brevi exponere, atque adeo ad propositam disputandi materiem transire.

Regnante Imperatore Tiberio nondum ecclesia, quæ Christiana appellabatur, fastigium quoddam attigerat. Interea tamen constat, plures Apologetas et præsertim Tertullianum hunc ipsum, quem diximus, Imperatorem benigno in Christianos fuisse animo, descripsisse [2]). Imperante Claudio, quod in Judæos valebat exsilii decretum, idem jam in Christianos exiit. Quare Nero primus persecutione, quæ anno 64 p. Ch. incepit, in ecclesiam Christianam sæviit, et inter omnes constat, id ab hoc crudelissimo Imperatore ideo spectatum fuisse, ut et culpam incendii, quod

[2]) Tertull. Apologet. Cap. 5 & 21. e Qu. Sept. Florentis Tertulliani Oper. Lutetiæ MDCXXXIV.

Romam devastaverat, in Christianos evolveret, et sibimet ipsi pariter ac cruentæ fanaticæque plebi delectationem afferret. Imperator Domitianus, qui anno 81 regnum Romanum capessivit, acerbitate et implacabili odio Christianos infestavit. Nerva vero, qui anno 96 regno Romano potitus est, humanitatem, qua ornatus erat, et justitiam etiam in Christianos ostendit, quos variis absolvit incusationibus, unde iis, dum regnabat, in otio esse licuit. Hanc vero ipsam quietem eo majores secutæ sunt perturbationes, etenim cum, mortuo Nerva, regnum accepisset Trajanus, in Christianis vexandis opprimendisque perseveratum est. Quas de coetibus clandestinis promulgabat leges, eæ luculentius declarant, hunc Imperatorem in novam ecclesiam haud propendere, id quod exinde etiam apparet, quod accusationes, quæ in Christianos instituebantur, benigne exceptæ sunt, atque si quis reus, fidem deserens, idola cultu divino denuo prosequeretur, veniam sine dubio speraret. Imperante Hadriano Christianis magis magisque faveri coeptum est; hujus enim imperii tempore, si gubernatores essent, quibus populi in Christianos furorem manifestari placuit, fuerunt tamen alii, qui apud Imperatorem de injuriis, quæ novæ doctrinæ cultoribus inferebantur, conquesti sunt. Hoc quidem tempore annisque proxime præcedentibus et in principibus et in subditis ea invaluerat opinio, Christianis honeste modesteque viventibus, nihil omnino inesse, quod nec in rebus civilibus nec in moribus poena afficiendum esset, etiamsi ipsis erat persuasum, totam doctrinam non nisi perversam et intempestivam superstitionem habendam esse. Interea tamen Hadrianus plura edidit edicta, quæ impetus reprimerent, quos in Christianos furens et insana plebs intendebat. In Imperatoribus vero Romanis, qui maxima indulgentia clementiaque in Christianos usi sunt, inprimis commemorandus est Antoninus Pius, qui anno 138 p. Ch. regnum Romanum est adeptus. Hoc ipso tempore varii inciderunt casus, qui furiosam plebem ad novos impulerunt impetus. Fluvius Tiberis extra ripas diffluebat; Asia Minor multæque aliæ regiones gravissimis vexabantur terræ motibus; plures urbes a fundamentis proruebantur; permagna incendia Romam, Antiochiam et Car-

thaginem devastabant. Ut causa quædam harum calamitatum externa afferretur, eædem Christianis tribuebantur, quorum multos vel plebs pagana vel vis sacrificulorum interemit. Plura rescripta, quæ ad civitates Græciæ misit Antoninus Pius, mitissima in Christianos erant, atque ad hos violentissimos casus cito opprimendos spectabant. In edictis, quæ Christianos contra persecutiones, quas perpetiebantur, maxime defendebant, jure id habetur, de quo in hac disputatione præcipue quæritur. Duo disparia duorum Imperatorum decreta continet, interque res historiæ diplomaticæ quam maxime memorabiles haberi potest. In tribus inter se valde discrepantibus editionibus nobis oblatum est. In operibus Justini Philosophi et Martyris, Paris. 1686 editis p. 100 & 101. juxta ejusdem Justini Apologiam pro Christianis secundam receptum est, et titulum, annumque Antonini Pii inscriptum habet. In Historia Eusebii Ecclesiastica, lib. IV, Cap. XII, valde discrepans, præsertim in prima parte dimidia, occurrit, quandoquidem titulo annoque Marci Aurelii inscriptum est, nihilo tamen minus ab Eusebio ad acta Ant. Pii refertur. Idem denique Chronicon, quod dicitur, Paschali continetur, ubi exceptis nonnullis lectionibus variantibus, cum textu Eusebii fere congruum est [3]). Duos primos, quos diximus, textus infra subjungimus, quo facto ad observationes quasdam, cum de ipso edicto, tum de sententiis eorum, qui idem pertractarunt, proponendas adgrediemur.

---

[3]) Cf. Chronicon Paschale. ad exemplar Vaticanum recensuit Lud. Dindorfius. Corp. Script. Hist. Byzant. editio emendatior et copiosior consilio B. F. Niebuhrii C. F. instituta. Bonnæ 1832.

ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΗ

πρὸς τὸ κοινόν τῆς Ἀσίας.

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Τίτος Αἴλιος Ἀδριανὸς Ἀντωνῖνος σεβαστὸς, εὐσεβὴς, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας (τὸ ιε) ὕπατος τὸ γ πατὴρ πατρίδος τὸ καὶ τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν. Ἐγὼ ᾤμην (ὅτι) καὶ τοὺς Θεοὺς ἐπιμελεῖς ἔσθαι μὴ λανθάνειν τους τοιούτους. Πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκείνους κολάσοιεν, εἴπερ δύναιντο, τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοῖς προσκυνεῖν. οἷς ταραχὴν ὑμεῖς ἐμβάλλετε, καὶ τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν ὡς ἀθέων κατηγορεῖτε, καὶ ἕτερά τινα ἐμβάλλετε, ἅτινα οὐ δυνάμεθα ἀποδεῖξαι. Εἴη δ' ἂν ἐκείνοις χρήσιμον, τὸ δοκεῖν ἐπὶ τῷ κατηγορουμένῳ τεθνάναι· καὶ νικῶσιν ὑμᾶς προϊέμενοι τας ἑαυτῶν ψυχὰς, ἤπερ πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράσσειν αὐτούς. Περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων καὶ τῶν γινομένων, οὐκ εἰκὸς ὑπομνῆσαι ὑμᾶς ἀθυμοῦντας, ὅταν περ ὦσι, παραβάλλοντας τὰ ὑμέτερα πρός τὰ ἐκείνων, ὅτι εὐπαρρησιαστότεροι ὑμῶν γίνονται πρὸς τὸν Θεόν· καὶ ὑμεῖς μὲν ἀγνοεῖν δοκεῖτε περ ἐκεῖνον τὸν χρόνον τοὺς θεοὺς, καὶ τῶν ἱερῶν ἀμελεῖτε. Θρησκείαν δὲ τὴν περὶ τόν Θεόν οὐκ ἐπίστασθε. Ὅθεν καὶ τοὺς θρησκεύοντας ἐζηλώκατε, καὶ διώκετε ἕως θανάτου. Ὑπὲρ τῶν τοιούτων καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων, τῷ θειοτάτῳ μου πατρὶ ἔγραψαν· οἷς καὶ αντέγραψε μηδέν ὀχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοιντο τί ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν Ρωμαίων ἐγχειροῦντες· καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα, τῃ τοῦ πατρός μου κατακολουθῶν γνώμῃ. Εἰ δέ τὶς ἔχει πρός τινα τῶν τοιούτων πρᾶγμα καταφέρειν ὡς τοιούτου, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος; κἂν φαίνηται τοιοῦτος ὤν· ἐκεῖνος δὲ ὁ καταφέρων, ἔνοχος ἐσται τῇ δίκῃ.

Ἀντωνίνου ποὸς τὸ κοινὸν τῆς ἀσίας ἐπιστολὴ περὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου.

Ἀυτοκράτωρ καῖσαρ μάρκος αὐρήλιος ἀντωνῖνος σεβαστὸς, ἀρμένιος, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς ἀσίας χαίρειν· ἐγὼ μὲν οἶδα ὅτι καὶ τοῖς θεοῖς ἐπιμελὲς ἐστὶ, μὴ λανθάνειν τοὺς τοιούτους· πολὺ γὰρ μᾶλλον ἐκεῖνοι κολάσαιεν ἂν τοὺς μὴ βουλομένους αὐτοὺς προσκυνεῖν, ἢ ὑμεῖς. οὓς εἰς ταραχὴν ἐμβάλλετε, βεβαιοῦντες τὴν γνώμην αὐτῶν ἥνπερ ἔχουσιν ὡς ἀθέων κατηγοροῦντες. Εἴη δ' ἂν κἀκείνοις αἱρετὸν το δοκεῖν κατηγορουμένοις τεθνάναι μᾶλλον, ἢ ζῆν ὑπὲρ τοῦ οἰκείου θεοῦ· ὅθεν καὶ νικῶσι, προϊέμενοι τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, ἤπερ πειθόμενοι οἷς ἀξιοῦτε πράττειν αὐτοὺς· περὶ δὲ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων καὶ γίνομένων οὐκ ἄτοπον ὑμᾶς ὑπομνῆσαι ἀθυμοῦντας μεν ὅταν περ ὦσι, παραβάλλοντας δὲ τὰ ὑμέτερα πρὸς τά ἐκείνων. οἱ μεν οὖν εὐπαῤῥησιαστότεροι γίνονται πρὸς τον θεὸν· ὑμεῖς δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον καθ' ὃν ἀγνοεῖν δοκεῖτε, τῶν τε θεῶν καὶ των ἄλλων ἀμελεῖτε, καὶ τῆς θρησκείας τῆς περὶ τόν ἀθάνατον· ὃν δὴ τοὺς χριστιανούς θρησκεύοντας ἐλαύνετε καὶ διώκετε ἕως θανάτου· ὑπὲρ δὲ τῶν τοιούτων, ἤδη καὶ πολλοὶ τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων καὶ τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν ἔγραψαν πατρί· οἷς καὶ ἀντέγραψε μηδὲν ἐνοχλεῖν τοῖς τοιούτος, εἰ μὴ φαίνοιντο τι περὶ τὴν ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἐγχειροῦντες· καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν· ὃις δὴ καὶ ἀντέγραψα, κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρός γνώμῃ· εἰ δέ τις ἐπιμένοι τινά τῶν τοιούτων εἰς πράγματα φέρων ὡς δὴ ταιοῦτον, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, καὶ ἐὰν φαίνηται τοιοῦτος ὢν ὁ δε καταφέρων ἔνοχος ἔσται δίκης.

Antonini (Pii Imperatoris)

Epistola ad populos Asiæ.

Imperator Cæsar Titus Ælius Adrianus Antoninus Augustus Pius, Pontifex Maximus, Tribun. Potest. XV. Cons. III. Pater Patriæ populis Asiæ salutem. Equidem putarim diis quoque ipsis curæ esse, ne hujusmodi homines lateant. Multo enim magis illi, siquidem possint, vindicaverint in eos, qui adorare ipsos nolunt; contra quos tumultum ipsi concitatis, et sententiam eorum veluti impiorum et nullorum deorum, sugillatis, et alia quædam objicitis crimina, quæ probare non potestis. Commodius sane illis fuerit, si ob id videantur, de quo accusantur, mortem oppetere. Et vincunt illi vos, suas ipsorum animas potius projicientes, quam ut obsequentes quod postulatis faciant. De terræ motibus autem, qui vel ante fuere, vel adhuc fiunt, non iniquum nobis visum est vos admonere, qui animos, cum fiunt, despondetis, res illorum cum vestris comparantibus: quoniam longe illi sunt quam vos erga Deum liberiores atque fidentiores. Ac vos quidem ignorare videmini per id tempus deos, et sacrorum obliviscimini et cultum Dei non tenetis. Quocirca et illum colentibus æmulatione invidetis et ad mortem usque eos persequimini. De rebus ejuscemodi et alii quidam provinciarum rectores divinissimo patri meo scripserunt. Quibus ille rescripsit nihil molestiæ facessendum esse talibus viris, nisi qvid adversus Imperium Romanum moliti esse deprehenderentur. Quin et ad me multi de eis literas dederunt, quibus de patris mei, quem imitandum mihi esse duxi, sententia respondi. Si quis actionem adversus quempiam ejusmodi habens, deferat illum dumtaxat ut hujuscemodi hominem: delatus quidem a crimine absolvatur, etiamsi talis esse appareat: ipse atuem delator judicio pænas pendat.

Epistola Antonini ad Commune Asiæ de religione nostra.

Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus. Aug. Armenicus, Pontifex Maximus Tribuniciæ Potestatis XV. Consul III. Communi Asiæ S. Equidem scio Diis ipsis curæ esse, ne hujusmodi homines lateant. Multo enim magis illis convenit punire eos, qui colere ipsos recusant, quam vobis. Qui eorum, adversus quos tumuluamini, sententiam ac propositum amplius confirmatis, dum eos accusatis tamquam impios. Illis autem longe optabilius fuerit, ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo suo, quam ut incolumes remaneant. Ita victores evadunt, animas suas potius projicientes, quam ut ea facere quæ vos jubetis, in animum suum inducant. Ceterum de terræ motibus, qui vel facti sunt, vel etiamnum fiunt, non absurdum videtur vos commonere, qui et animos abjicitis quoties hujusmodi casus contingunt et vestra cum illorum institutis comparatis. Atqui illi quidem majorem tunc fiduciam in Deo collocant. Vos vero per omne illud tempus quo præ imperitia labi mihi videmini, Deos negligitis: et tum alias cæremonias insuper habetis, tum cultum Immortalis illius. Et Christianos, qui illum venerantur, expellitis, et ad mortem usque infestius perurgetis. Porro de his hominibus plurimi provinciarum rectores Divo patri nostro antea scripserunt. Quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte contra statum imperii Romani aliquid moliri viderentur. Sed et multi a me de illis retulerunt: quibus ego patris mei constitutionem secutus respondi. Quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere ex eo quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa Christianum esse. Delator autem ipse poenas luit.

Hisce igitur duobus edicti, de quo quæritur, editionibus propositis, hoc nobis primum in percunctando poni videtur: estne auctoritas ipsius juste comprobata, nec ne? Plures sane fuere ex historicis sæculi proxime præterlapsi, qui auctoritatem hujus edicti comprobarunt, quos inter nominasse juvat Cl. Schroeck [4]) et Hegelmayer [5]), quorum uterque idem ad Antonium Pium refert. In eis e contrario, qui authentiam ipsius improbarunt imprimis Cl. Scaliger, [6]), Thirlby [7]), Baumgarten [8]) et Semler [9]) habeantur, quibuscum Cl. Haffner in sua disputatione plane consentit [10]). Omnes fere recentiores historiæ ecclesiasticæ auctores, ex. gr. Cl. Engelhardt [11]) et Neander [12]), quorum in castra etiam Cl. Gieseler [13]) abire videtur, hoc edictum, excepto Cl. Kestnero, [14]) spurium esse contenderunt. Fuit tamen ab antiquioribus diu multumque disceptatum, an variis tantummodo autographi versionibus hac triplici forma indui potuerit edictum, præsertim cum hæc ipsa varietas non modo in lectionibus variantibus, sed etiam ex parte in permutata indole consistit. Cl. Stroth [15]) aliique eam amplexi sunt sententiam, hanc editionum præcipue duarum, quas primum nominavimus,

---

[4]) Christliche Kirchengeschichte von Joh. Math. Schroeck, Dritter Theil. p. 15 & 16. Leipzig 1777.

[5]) Commentatio in edictum Imp. Ant. Pii pro Christianis a Tobia Godofr. Hegelmaier. Tubingæ 1777.

[6]) Jos. Just. Scaliger Animadvers. ad Chronicon Eusebii p. 203 sequ.

[7]) Styani Thirlbii Editio Justini. Londini 1722. p. 2.

[8]) Auszug der Kirchengeschichte von S. J. Baumgarten P. II.

[9]) Semlerus in sel. cap. Hist. Eccl. Tom. I.

[10]) Haffner de edicto Ant. Pii pro Christianis. Argentor. 1781.

[11]) Handbuch der Kirchengeschichte von D:r J. G. W. Engelhardt. Erster Band. pag. 73, Erlangen 1833.

[12]) L. c. p. 151 & 152.

[13]) Lehrbuch der Kirchengeschichte von Joh. Carl. Ludv. Gieseler. Erster Bd. pag. 115. Darmstadt 1824, ubi haece occurrunt verba: Das Edictum ad Commune Asiæ wird bey Justinus M. Apol. I. c. 70 dem Ant. Pius, in der aus Melitos Apologie genommenen Abschrift bey Eusebius (h. e. IV: 13) dem Marcus Aurelius beygelegt, während doch der ganze Zusammenhang auch hierher dem Ant. Pius spricht. Es ist indess, wo nicht ganz unächt, doch stark interpolirt.

[14]) Die Agape oder der geheime Weltbund der Christen, dargestellt von D:r Aug. Kestner Jena 1819.

[15]) Commentatio F. A. Strothii de vita et scriptis Eusebii, versioni ejus historiæ Eusebianæ præmissa, pag. 15.

varietatem ab interpretum incuria profectam esse. Id tamen plerumque verum habitum fuit, edictum aut ad Ant. Pium Imper. aut ad Marcum Aurel. referendum esse, et hac de re auctores ex. gr. Valesius [16]), Brucker [17]), Balduin [18]) cet. vario modo disputarunt. Cum vero, ut supra allatum est, ideo involvitur contradictio, quod edictum, ab Ant. Pio editum, nomine, titulo annoque Marci Aurelii instructum est, vel quod decretum Marci Aurel. est titulo antecessoris insignitum, hanc eandem tollere difficillimum sane videtur, præsertim cum constet, argumenta, quæ sunt ab unoquoque auctore ad suam ipsius sententiam confirmandam adhibita, in utramque partem probabilia esse. Hac tamen in re illustranda nobis auxilio sit, auctores non modo non argumenta, quæ attulerunt, satis probasse, verum etiam quæstionem illam, quæ sane dissolvenda esset, an ejusmodi contradictio probabilem admittat explicationem, omnino prætermisisse. Nos jam medium teneamus. Cum enim Eusebius in historià, quam conscripsit, ecclesiastica, hoc commemorat edictum, idem prout verum, ab Marco Aurel. editum, edictum summo jure existimetur, cum maxime ab solito ejus titulo incipiat. Imperator ipse in hoc edicto confitetur, se tantummodo decretum, a patre et antecessore datum, restituere, quam quidem sententiam ita exprimit: *ἀντέγραψα κατακολουθῶν τῃ τοῦ πατρὸς γνώμῃ*, id unum addens, qui Christianos accusarent, eosdem hac poena afficiendos esse: *ἐι δὲ τὶς ἐπιμένοι — ἔνοχος ἔσται δίκης.* Ab ipso narrationis Eusebianæ contextu hoc edictum abesse nequit. Capp. 8 & 9 de epistola Hadriani, quæ proxime præcedunt, in dubium non vocata sunt; cumque postea cap. 16 alteram commemorat Justini Apologiam, Marco Aurelio et Lucio Vero destinatam, per se patet, eum, si hæc capita 12 et 13 tollenda essent, aut quæ Imp. Antonino Pio fata fuerint Christianorum prorsus nesciisse, aut eadem referre neglexisse; utriusque enim nexus necessarius est. Fieri sane potest, ut Eusebius editione edicti Ant. Pii, ab ipsius auctoris manu confecta, destitutus fuerit, quam tamen afferre voluit, quare edictum posterius Marci Aurelii, cui Ant. Pii additum erat, descripsit.

Documentum, quod apud Justinum occurrens ita inscriptum est: *Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Τίτος Αἴλιος Αδριανός Αντωνῖνος.* cet. si diligentius attenderimus, luculenter apparet, idem ab initio inde usque ad verba illa: *διωκετε ἑως θανάτου* decretum præbere Antonini Pii, unde suspicari

---

[16]) Ad editionem Valesianam Eusebii Annott. in libr. IV: 13 p. 59.

[17]) Bruckeri Hist. Crit. Philos. T. II.

[18]) Franc. Balduinus in Comment. ad edicta Imperatorum de Christianis p. 88. Hall. 1727.

licet, extremam decreti partem esse avulsam et extrema Marci Aurelii edicti parte compensatam. Cel. Zonaras [19]) etiam cum de Antonino Pio verba fecit, mox subjicit de Justino: Is ad Ant. Pium defensionem Christianorum scripsit, qua Imperator impulsus, decreto ad civitates Asianas misso, cavit, ne quis Christianos propter religionem supplicio afficeret; quod si quis eo nomine accusaretur, reum absolvendum, accusatorem mulctandum esse. In Chronicon Paschali textus Eusebianus conservatus est, et perpaucæ, quæ ibi obveniunt varietates, librariorum incuriæ attribuantur. Quare nobis, hac adductis argumentatione, et iis, qui recentiore tempore hac de re scripserunt, contradicentibus, jure contendi posse videtur, authentiam hujus edicti satis probatam esse, ipsumque edictum Antonino Pio omnino assignandum et e tota ipsius indole colligi potest, et exinde quod nullum eorum dignitatis nominum e. gr. Armeniaci l. Germanici l. Patris patriæ, quæ postea M. Aurelio adjudicata sunt, in titulo usurpatur. Tempus, quo edictum M. Aurel. editum est, Tribun. Potest. XV, Cos. III certius constituitur. In annum 161 p. Ch. n. incidit, quo tempore Ant. Pius exspiravit et M. Aurel. in ejus locum successit. Argumentum, quod ad authentiam edicti certius confirmandam valet, ex eo depromi potest, quod Lucius Verus, M. Aurelii imperii collega, in eodem titulo non nominatur. Constat nimirum, M. Aurelium muniis Pontif. Max. solum præfuisse, quare ei in sacris tota fuit decernendi potestas. Quæ cum ita sint, nisi graviores rationes contra authentiam edicti proferantur, non videmus, quomodo illa probabili ratione in dubium vocari possit.

Cum jam brevi proposuimus, quid varii historiæ ecclesiasticæ scriptores de authentia atque auctore hujus edicti senserint, ad ipsum edicti argumentum transeamus necesse est. Heic primum observandum videtur, idem vel ideo exiisse, ut plerique provinciarum paganarum gubernatores, quomodo se adversus Christianos gererent, edocerentur, vel ideo, quod Christiani injurias sibi injuste illatas conquesti erant. Quemadmodum autem Imperatori nulla fuit calumnias in Christianos utpote impios exaudiendi libido, sic ei principi videbatur gratia et tutela in partem hominum religiosam, omnibus in ordinibus urbibusque gliscentem, non nisi caute conferenda esse. Ex hac una re priva hujus edicti indoles explicari potest; nullam enim decreti speciem præ se fert, exoptat tantummodo Imperator, ut Christianis in otio esse liceret, quare non modo nullæ eis importarentur calamitates, sed potius sincerissimæ pietatis exempla ab eisdem peterentur. Videbat nimirum Antoninus, cum de religione

---

[19]) Joannis Zonaræ Annales cum notis. Parisiis 1687.

agitur, edicta, quæ alteram partium vel attollunt vel prosternunt, inveteratum odium non modo non restinguere, verum etiam acrius concitare. Quantam adhibuerit cautionem atque prudentiam exinde elucet, quod in extremo rescripto id præcipit, ut Christiani patrocinio destituerentur, ἔι φαίνοιντο τὶ επὶ τὴν ἡγεμονιαν Ρωμαίων ἐγχειροῦντες. Etenim per se patet, Imperatorem, utpote imperii Romani protectorem, perfectam concedere libertatem novæ sectæ non posse, quippe quæ in occulto agere putabatur, unde metus facile injiceretur, ne quid in rempublicam mali eadem moliretur. Quamvis hoc edicto Christianos fidei et præsidio paganorum commendasset, non nisi conditionalem eis tribuerat favorem, præsertim cum eodem patrocinium tantummodo negativum concessum esset. Hac tamen re Imperatoris ipsius gratia Christianis reservata fuit, iisdemque sperare licuit fore, ut vel ab illo ipso vel ab adoptivo filio et successore longe majoris participes forent. Heic non silentio prætermittendum est, hoc edicto Apologiæ Justini integrum fere reddi rescriptum [20]), atque adeo audacissimo scriptori Christiano id præcipue contigisse, ut hic ipse Imperator et edoceretur et mitigaretur, id quod permagnum Christianis attulisse gaudium liquet. Id tamen eis maximo fuit gaudio, quod ex edicto Imperatoris factum est, ut, dum vixit, perpetua securitate fruerentur atque incolumitate [21]). Quare Marcus Aurelius, qui eodem atque antecessor benigno in Christianos animo fuit, non dubitavit severissimum promulgare edictum contra persecutionem, de qua Melito, Apologeta Christianus, auxilium implorans, narrationem tradiderat [22]). Hoc tamen, quod contra persecutionem Christianorum dederat edictum, tam apte sapienterque composuerat, ut patrocinium, quod ibi aperte promittebatur, nullam in paganis moveret indignationem; hac autem re tantummodo edictum, ut supra ostendimus, quod antecessor jam ante decennium promulgarat, re vera ratum fecit.

---

[20]) Eusebius in Hist. Eccl. IV: 11, cum nexum inter hoc edictum et primam Just. Apol. significatum vult, dicit, illud ab hac proficisci.

[21]) In Græcia tantum, regnante Ant. Pio, persecutiones exstitisse feruntur, neque hoc fidem excedere videtur, siquidem Christiani in provinciis Græciæ neophytos maxime sectarentur. Dionysius, Corinth. Episcopus, apud Eusebium Hist. Eccl. IV: 23 de persecutione in Athenienses, nuper perpetrata, mentionem facit. Hyginus in sua Ep. II in Athenienses etiam persecutionem, nuperrime confectam, respicere videtur.

[21]) Fragment. apud Eus. Hist. Eccl. IV: 26.

agitur, edicto, quae alterum partium vel attollant vel prosternant, inveteratum odium non modo non restinguere, verum etiam acrius concitare. Quantam adhibuerit cautionem atque prudentiam exinde elucet, quod in extremo rescripto id praecipit, ut Christiani latrocinio delinquentes, ὁ φαίνοιτό τι, οὐ τῷ ἐγκαλοῦντι Γαρώμι ἐγχειρίσονται. Etenim per se patet Imperatorem, utpote imperii Romani protectorem, perfectam concedere libertatem novae sectae non posse, quippe quae in occulto agere putabatur, unde metus facile injiceretur, ne quid in rempublicam mali eadem moliretur. Quamvis hoc edicto Christianos fidei et praesidio paganorum commendasset, non nisi conditionalem eis tribuerat favorem, praeterea enim eodem patrocinio tantummodo negativum concessum esse. Hac tamen re Imperatoris ipsius gratia Christianis reservata fuit, iisdemque sperare licuit fore, ut vel ab ipso vel ab adoptivo filio et successore longe majoris participes forent. Hoc non silentio praetermittendum est, hoc edicto Apologiae Justini integrum fere reddi rescriptum [42], atque adeo antiquissimo scriptori Christiano id praecipue contigisse, ut ipso Imperatori ac eloquentia et religione, id quod permagnum Christianis attulisse solatium liquet. Id tamen eis maximo fuit gaudio, quod ex edicto Imperatoris factum est, ut, dum vixit, perpetua securitate fruerentur atque tranquillitate [43]. Quare Marcus Aurelius, qui eodem atque antecessor benigno in Christianos animo fuit, non dubitavit severissimum promulgare edictum contra persecutionem, de qua Melito, Apologeta Christianos, auxilium implorans, narrationem tradiderat [45]. Hoc tamen, quod contra persecutionem Christianorum dederat edictum, tam apte sapienterque composuerat, ut patrocinium, quod ibi aperte permittebatur, nullam in paganis moveret indignationem; hac autem re tantummodo effectum, ut supra ostendimus, quod antecessor jam ante decennium promulgaverat, re vera ratum fecit.

---

[42]) Eusebius in Hist. Eccl. IV: 11, cum nexum inter hoc edictum et primam Just. Apol. significatum velit, dicit, illud ab hac profectum.

[43]) In Graecia tantum, regnante Ant. Pio, persecutiones exstitisse feruntur, neque hoc fidem excedere videtur, siquidem Christiani in provinciis Graeciae neophytos maxime sectarentur. Dionysius, Corinth. Episcopus, apud Eusebium Hist. Eccl. IV: 23 de persecutione in Athenienses, nuper perpetrata, commemorationem facit. Hyginus in sua Ep. II in Athenienses etiam persecutionem, saeperime conflatam, respicere videtur.

[45]) Fragment. apud Eus. Hist. Eccl. IV: 26.

LUNDÆ,

Typis excudebat C. F. BERLING, Universitatis Typographus.